

Frägen flöten &

Wiederholungen d. Rhythms.

Boden.

17

?

Contraffurpilina.

Mengfus sub Minnilius.

I. Frigaffurpilina.

1. Punktfurpilina.

A. Falfurpilina.

a. Linneus b. Autio c.

c. Lilacina d. Imara

Beril. e. Aqua marina

f. Granat. g. Sopha

h. Krisolithi. i. Sopha

k. Schmidl.

B. Gummifurpilina.

a. Lebbligur. b. c.

c. Rosengrau. d. grau

grau. e. schwarz

f. Blaugrau. g. bla

h. Grüngrau. i. grau

grau als Stein

obidianum. m. Des

Sammatini.

C. Stofffurpilina.

a. Gittergoal b. c.

c. Kupf. d. zinc

e. Mädroolith f.

PROPOSITIONES

Ex

Universa Theologia

Schola stico • Historico • Critico

Dogmaticæ

Mentis

S. R. E. Conciliorum atq; SS. Patrum

CONFORMES.

Amplissimo Nomi ni

ILLUSTRISSIMI & REVERENDIS-
SIMI DOMINI

D. FLORIANI AMANDI

Ok/za de Janowek

JANOWSKI

Divina Vocatione Archi - Cænobii
Tyniecensis ABBATIS, S. Theolo-
giæ DOCTORIS, CANONICI Ca-
thedralis Cracoviensis

NUNCUPATÆ.

Quas

pro publicis Disputationibus

EXPOSITAS.

Defendendas suscepérunt

RR. PP. Thadæus Lichocki.

Ægidius Staniszewski.

Franciscus Palemborski.

Maurus Łacki. S. Theologiæ
Auditores.

In Assistentia

Perillustris & Admodum Re-
verendi Domini Cælestini Dy-
dziński S. Theologiæ Lectoris,
& Actualis ejusdem Professoris,
nec non Prioris ac Custodis
Archi-Cænobii Tyniecensis.

Et Admodum Reverendi D,
Ildéphonsi Konopka S. Theolo-
giæ Lectoris & Actualis Pro-
fessoris. dicti Archi Cænobii.

Annò MDCCCLXXVII.

Diebūs IX. & X. Julii.

AD
ILLUSTRISSIMUM
REVERENDISSIMUM

ac

AMPLISSIMUM DOMINUM
DOMINUM
Archicænobii Tynecensis

ABBATEM
MECÆNATEM AMPLISSIMUM.



Per quām opportūne nobis
accidit, quod vergente ad
finem studiorum nostro-
rum cursu ILLUSTRIS-
SIME & REVEREN-
DISSIME DOMINE ABBAS no-
strum Dignissime, Theologicas Theses
laboris scilicet nostri, sudorisq; fructus
Amplissimo Nomi n Tuō nuncupa-

re

re statuerimus. Simul enim & propensi-
sam in Te voluntatem nostram, quam
intra triennii hujus curriculum demon-
strare in votis habuimus, palam nunc
facere; & devinctissimum animum no-
strum testari possumus.

At quod nobis rem nimis arduam,
ac per molestam efficit, est: Quod cum
probè intelligamus ingenuas Dotes Tu-
as, Virtutesq; pulcherrimas, tam multa
nobis se se offerunt argumenta, tamq;
varia, quibus studium nostrum erga Te
constantemq; significaremus voluntatem,
ut si per singula ire mens nobis foret,
difficillimè in iis finem invenire nos pos-
se crederemus; nihilominus tamen retar-
dat nos ab iis recensendis, ac prorsus re-
trahit singularis Tua Virtus, perrara
nimirum animi modestia; quam adeò
Tibi familiarem fecisti, ut nihil magis
refugias, quam Nominis Tui celebri-
tatem, Laudumq; Tuarum prædicationem,

Quamobrem ut & virtuti Tuae mo-
rem gerere possimus, & propensa in
Te voluntatis nostra partes implere, id
unum duntaxat spectabit oratio nostra,
quod

quod prætermittere nullatenus possumus,
Amorem scilicet Tuum ingentem, ac
prorsus singularem, quo litteras, litte-
ratosq; omnes avidissimè prosequeris. Nam
hinc facile erit intelligere: hoc uno no-
mine, omnium Tibi studia promeruisse,
atque encomia.

Multa sanè, eaq; præclara in medi-
um hic afferri possent, qua singularem
hunc Tuum in litteras, litteratosque o-
mnes amorem testarentur, sed ne ea,
qua omnibus plana, ac aperta sunt, re-
petere videamur; quid quoq; lucenti-
us hanc Tuam præclaram demonstrat
Voluntatem, quam quid iis solùm fami-
iliarissimè utaris, qui in excolendis o-
ptimis disciplinis toti occupentur, hosq;
quibus potes, maximis beneficiis augear?

Nolo hic commemorare clarissimos
cum doctrinâ tūm pietate Viros, qui Te
non possunt non impensè colere, cum se
invicem à Te colli, amarique summope-
re gaudeant, Testis est singularis hujus
benevolentiae ac liberalitatis Tua Studi-
um nostrum; Testes ceteri, cum litera-
rum studio, tum vinculò Religionis Sa-
cra

era nobis conjuncti; Quis enim est in
omni Congregatione nostra vel medio-
criter litteris excultus, qui Te Patrem
munificentissimum, qui liberalissimum,
Fautorem non experiatur? Per omnes
Scholas nostras; imò per singulos earum
alumnos pervagata hac est opinio: A-
MANDUM JANOWSKI esse optimū
litterarum, ac litteratorum cultorem;
esse unicum optimarum artium vindicem
ac Patronum. Sentiunt cùm omnes
ali, tūm nos præcipue hoc maximum
beneficium, ac in dies summa cum volu-
ptate experimur; Teque Virum divini-
tus constitutum litteris ab interitu vin-
dicandis, ac perpetuō foyendis suspici-
mus, ac veneramur.

Habet enim; ut omnis alia virtus, sic
litterarum studium suos osores, ac hostes
infessissimos. Non desunt plurimi qui
litteris, quamvis irrito conatu, bellum
indicere, ac illas profigare, gloriæ sibi
ducunt; Non desunt, in quam, & quod
maxime dolendum, non desunt etiam
non fucata pietatis viri adèo litteris lit-
teratisq; inimici, ut virtuti consultum
iri minimè credant, si scientia omnes,
ac

ac artes à Schola pietatis procul exalent,
ac perpetuò amandentur. Putant nimirum
præclaris hi virtutis amatores duo
hac: doctrinam scilicet, & pietatem.
tam acri dissidio inter se pugnare, ut
nisi altera alteri vincetas det manus, u-
tramque periclitari necesse sit. Sed ne
de istiusmodi piissimorum hominum zeli
amplius loquar; praterquam enim quod
ipsamet ultra inscitiam suam, ac inge-
nium prodant, quis est, qui Te ILLU-
STRISSIME DOMINE illorum ora pa-
lam obstruere non videat, cum, que i-
psi inficiantur, Tu in Te ipso felici ne-
xu, ac perpetuò fadere copulaveris.

Longiores essemus, ac Tibi permolesti,
si singulas clarissimas Virtutes Tuas non
exornare sed enarrare solùm vellemus.
Satis nos dicere arbitramur, cum dici-
mus: Te dubium omnibus, ancepisti re-
liquisse ultra magis emineas, pietate ni-
mirum, an litteris? Miramur equidem
omnes ac suspicimus profundam erudi-
tionem Tuam, at non minori cultu so-
lidam reveremur pietatem; utramque
amamus; erga utramque eodem ferimus
affectionem.

Sed

Sed redimus ad id, quod paulò superius diximus: Te nimis ILLUSTRISSIME DOMINE optimarum artium esse vindicem ac Patronum Singulararem. Nihil autem loquimur hic quæ. & quanta quotidie geras ad promovendas ejusmodi doctrinas; Silentio prætermittimus, quam strenuus sis in Comitiis, seu ut vocant capitulis generalibus, ut ope ac consilio excites singulos ad eorum cultum, & amorem; Missum denique facimus fortunatissimum illud tempus cum bonis omnibus, tum litteris præsertim, cum iterum, iterumque Moderatorem tollis Congregationis nostra ageres, quanta cura, quanta sollicitudine incubuisti in id, ut bonas artes optimò loco constitutas cerneret. Hac quidem, & alia id genus studiosi omittimus, sed id praterire nullatenus possumus, quod singulararem Tuum, ac propè incredibilem in litteras amorem præceteris testatur.

Premebatur bellico furore amplissimum hoc Archi Cœnobium Tuum; vastabantur agri, depopulabantur villa, ac civitates, omnia furioso tumultu susque, deoque pervertebantur; adèò ut illud litterarum

varum domicilium ac sedes usitatem
minari, & ad ruinam vergere vide-
retur. Quid Tu ad hæc ILLISTRIS-
SIME DOMINE? omnia siccis oculis
assperisti ratus: nihil esse tam firmum
in terris quod mutationem pati, & re-
rum vicissitudini obnoxium esse non pos-
sit, at quod Tibi dolorem maximum, ac
lachrymas pænè excusit, id solum fuit,
quod litteræ sua Sede, ac loco moveren-
tur. Proh! ingentem, ac planè singula-
rem litterarum amorem! Intellexisti id
probè, quod omnes boni, rectique intel-
ligunt; Religiosos Ordines, ut decus suo
um ac gloriam non à muris, & tectis
splendidis, sed à virtutum pretio mu-
tuari; ita nisi litteris, ac bonis artibus
sedulò excolantur, sanctitatem Regula-
rum suarum in se exprimere minimè
posse. Hinc est, quod omnem jacturam
non tanti feceris; ut cum jactura litte-
rarum ullò modo conserri ac comparari
possit.


Non miramur itaque Tuam in agen-
dis dexteritatem; in arduis animi con-
stantiam; gravitatem in prosperis; Non
miramur Tuam omnigenam pietatem;

ac

ac non sicutas virtutes; Mirentur has
it, quibus Tua vivendi ratio non satis
est perspecta; nobis plane constituta Te
nullum magis, quam litterarum duci a
move: Te esse bonarum artium vindici-
cem, ac Patronum: Te esse us ab inter-
itu vindicandis, ac perpetuo forendis
Virum divinitus constitutum.

Quæ cum ita sint: Utinam nobis ea
esset vis ingenii, tantumque esset ab e-
loquacia præsidū, ut eas Tibi gratias
ageremus, quas litterarum vindici, ac
Patrono munificentissimo deberi profite-
mur; Sed quoniam id vires ingenii no-
stri superare videatur, id jam planè re-
stat unum, ut Tibi manus ultro demus,
Teque longius, atque ulterius, quam qui
maxima dicendi vis attingere valeat,
processisse silentio fateamur.

L.
Li
ex
de
Pe
pr
vi
ti
pl
tu
ii
vi
m
Sc
va



EX TRACTATU

*De Sacra Scriptura, & illius
Authoritate.*

I. Libri, qui universim Sacra Scripturam continentur, non sunt Libri supposititii, sed omnino veri, existit igitur Sacra Scriptura, & prudenter à nullo negari potest. II. Porro Libri omnes, qui eā comprehenduntur, sive Veteris, sive Novi Testamenti integri ad nos perlati fuerunt, saltem quō ad partes ipsorum substantiales quæ alias fidē tūmores respiciunt, licet interdum iisdem Libris cùm Veteris tum Novi Testamenti, errata quædam & menda inveniantur alperia. III. Scriptura Sacra sive Vetus, sive Nova, habet pro Authore DEUM, atque

què adeò est Authoritatis Divinæ sensu
IV. Tametsi DEUS sententias & Jude-
res, illarumquè sensum in Sacris Li-
bris expressum Sacris Scriptoribus
inspiraverit, nihilominus verba ipsa,
quibus res illæ, earumquè sensus ex-
pressi fuerunt, verborumque com-
positionem & Stylum, meditationi
diligentia, ac industriæ corundem
Saerorum Scriptorum reliquit. V.
Canon aut numerus, vel Index Sa-
crorum Librorum triplex est; Ju-
dæorum nemp̄ Catholicorum, &
Hæreticorum. VI. Sincerus & ge-
nuinus Sacrorum Librorum Canon
est ille, quem Concilium Trident-
num tradidit. VII. Enimverò ad
solam Ecclesiam pertinet determi-
nare & definire, quisnam Liber sit
Canonicus, illiusquè Authoritas est
certa regula ad libros vel in Sacrorum
Codicum numerum recipiendos, vel
etiam ex eo numero rejiciendos.
VIII. Quippe quæ sola duntaxat disser-
nere potest inter verbum Dei & ver-
bum hominum. IX. Sacra Scriptu-
ra plerumque obscura est, & intel-
lectu difficultis, nec non in vanos
sen.

na; sensus interdum trahi potest X.
& Judex proinde & Interpres german-
Li ni ac genuini Sacrae Scripturae sen-
bus suis legitimus & infallibilis est sola
psa, Ecclesia Romana Catholica. XI.
ex. Cùm vetus & vulgata Nostra Sa-
com eræ Scripturæ latina editio contine-
oni at purum & integrum Dei Verbum,
Iem jure igitur & meritò Sacrum Con-
V. cilium Tridentinum eam Authenti-
Sa. cam declaravit. XI. Libri Apocry-
Ju pha sicut Veteris, ita & Novi Te-
& stamenti, omnes illi dicendi sunt,
ge qui & Traditione, & Ecclesiæ judi-
bon crio vi cuius tanquam Libri verè Di-
vini declarandi essent, destituuntur.

EX TRACTATU.

*De Sacra Traditione ejusdemq;
Auctoritate,*

XIII. Præter Scripturas Sacras ad-
mittendæ etiam sunt in Ec-
clesia Romano-Catholica Traditio-
nes Divinæ, cùm ad verum & ge-
nuinum Scripturæ sensum intelligen-
dum, tūm propter quædam fidei mo-

rum.

rumquæ Capita, quæ in Verbo Dei scripto non continentur. XIV. Porrò laudatæ Traditiones eandem omnino Authoritatem sibi vendicant, ac ipsa Scriptura Divina XV Quæ quidem necessariæ sunt ad fidem Orthodoxam stabilendam.

EX TRACTATU.

De Ecclesia Catholica deque illius Authoritate.

I. Solus DEUS est Author Ecclesiaz potestate independentiaz, & supremæ Avthoritatis, & solus Christus potestate excellentiaz, & Ministerii Principalis, homines verò ad ipsius foundationem concurrebunt, in genere causæ ministerialis inferioris. II. Ecclesia Christi non tantum Natalem Christi antecessit, sed etiam ita floruit tempore legis Naturæ, & scriptæ, ut tunc temporis veros extitisse Christianæ Religionis Cultores asserti meritò possit. Hæc verò probabiliter initium habuit in ipso Abel. III. Nequæ ve-

ra

Dei
Port
i o
ant,
Qua
em.

llius

cle-
tiæ,
plus
&
ve-
rre-
alis
non
essit,
egis
po-
Reli-
ossit.
ha-
ve-
ra Christi doctrina, sive sinecta Verbi Dei prædicatio, neque legitimus Sacramentorum usus sunt veræ nos- tæ, quibus certò dignosci possit Ec- clesia Christi, & disceret a quacun- que alia falsi Nominiis Ecclesia. IV. Vera Christi Ecclesia ita est una ut prorsus excludat quaecunque alias Societas, quarom fides diversa est. & erronea, in articulis etiam non fundamentalibus, & extra ipsam nul- la sit speranda salus. Cujus tamen Unitatis charactere, Societas ab Ecclesia Catholica separatae gaudere nulla tenus possunt. V. Sola Ec- clesia Catholica (non item Ecclæsia, aut Societas Protestantum) est Sancta ea Sanctitate, qua veræ Christi Ecclesiæ propria est ac sin- gularis. VI. Sola quoque Ecclesia Romana est Catholica, non autem Societas Protestantum. VII. Ec- clesia Christi verè est Apostolica, cùm propter Originis & doctrinæ ab Apostolis derivatae antiquitatem, tūm propter Pastorum suorum legi- timam missionem ac successionem non interuptam. Quos utique Ec- cle.

clesiae Apostolicæ characteres Socie-
tates Protestantum non habent.
VIII. Ecclesia Christi ex natura sua
est visibilis adèò, ut oculis omnium
semper conspicua fuerit. Quæ ve-
rò Visibilitas ipsi duntaxat Ecclesia
Catholicae & neutram Societati
convenit Protestantum. IX. Ec-
clesia Christi Visibilis nunquam de-
fecit. nec unquam est defectura.
X. Nec omnes, nec soli Prædesti-
nati, sunt in Ecclesia Christi. XI.
Non ex solis justis, & perfectis con-
stat Ecclesia, sed insuper admixtos
habet imperfectos & peccatores e-
tiam manifestos. XII. Hæretici pu-
blici ac manifesti, nullatenus sunt
in Ecclesia, in qua una salus haberi
potest. XIII. Hæretici nihilomi-
nis occulti sunt in Ecclesia, sed im-
perfectè duntaxat, & quantum ad
corpus ejus seu partem externam &
visibilem. XIV. Schismatici quo-
que & excommunicati excommu-
nicatione saltem majori nullo pro-
sus modo sunt in Ecclesia. XV. Sed
neque Catechumeni sunt actu &
perfectè vera corporis Ecclesiæ mē-

cr,

bra, ast tantum impropriè & imperi-
fectè, ac in voto duntaxat.

EX TRACTATU.

*De Romano Pontifice & Concili-
is, corundemque Authoritate,*

I. Jus & potestas convocandi Cō-
cilium Oecumenicum, soli cō-
petit Romano Pontifici. II. Po-
testas & Jus præsidendi Concilio Ge-
nerali Oecumenico soli iterum cō-
venit Romano Pontifici. III. Au-
thoritas Concilii Generalis Oecu-
menici in materia fidei & motum
est infallibilis. IV. Jure Divino
Soli Episcopi jus habent in Conci-
liis ferendi suffragium decisivum;
Quemadmodum ex consuetudine
Cardinales non Episcopi; Ex Privi-
legio autem & jure Ecclesiastico al-
liquis adhinc Sacerulis, Abbates, ac
Generales Ordinum Præpositi, etiam
Jus istud obtinent, tametsi non sint
Episcopi. V. S. Petrus ab ipso Chri-
sto Domino constitutus fuit Apo-
stolorum Princeps, & supremum Ec-
clie.

Ecclesiæ Caput. VI. Porro cum Romanus Pontifex in dignitate, & eminentia potestatis Petro succeedat, Primatum supra ceteros in tota Ecclesia Episcopos (non secus ac S. Petrus eundem supra reliquos Apostolos habebat) honoris & Jurisdictionis obtinet. VII. Hic idem Romanus Pontifex, dum res fidei & morum ex Cathedra definit, est omnino infallibilis, est ideo circò omnibus Superior Canonibus ut pro in Ejus Authoritas vel ipsi etiam Concilio Generali prævaleat. VIII. Atquè hinc appellare à Romano Pontifice ad futarum Concilium, sicut olim nunquam licitum fuit, ita nec aliquando licere potest. IX. Judicium, quo Romanus Pontifex definit aliquem esse Sanctum, huncque toti Ecclesiæ proponit publico cultu afficiendum est itidem omnino infallibile. X. Qui Romanus Pontifex si loquitur & pronuntiat de Cathedra, est etiam infallibilis in quæstione facti Dogmatici. XI. Imò vero est quoque infallibilis, quando solemni Decreto Religiosam

sum Ordinem proponit toti Ecclesiaz, veluti vitæ genus honestum, prium, Sanctum, nec non Evangelicæ perfectioni ex ase conforme.

EX TRACTATU

De reliquis locis Theologicis.

XII. Si SS. Patres circa dogma fidei & morum, vel expositionem S. Scripturæ convenienter ex eorum autoritate deduci potest argumentum infallibile. XIII. Concors Theologorum de Schola, & Juris Pontificii peritorum sententia in materia fidei & morum Theologorum firmum argumentum præbet, ut sine temeritatis nota, & manifesto erroris periculo respui non possit. XIV. Concors similiter Philosophorum sententia, modo fidei non aduersetur, præbet Theologo firmum quoque & certum argumentum. XV. Sed & concors etiamnum probatorum Historiorum de facto aliquo narratio Theologo pariter suppeditat firmum ac certum argumentum.

E2

EX

EX TRACTATU

De Deo uno in essentia.

- I. **D**EUS quem Philosophi, ut Authorē naturae demonstrant, & Theologi Authorē gratiæ credunt, est in natura summè uetus.
- II. De existentia unius Dei non potest dari ignorantia invincibilis respectu hominis, qui sua utitur ratione.
- III. Propositio *Deus existit*, vel *Deus est* tametsi per se nota sit secundum se, seu quò ad se, non tamen est ità nota secundum nos. sive quo ad nos.
- IV. Deus est ens spirituale, imò Spiritus purissimus, nec corpus; nec membra habens.
- V. Nec S. Melitho II. nec S. Epiphanius errorem Anthropomorphitarum unquam docuit.
- III. Circè Tertullianum verò res minus constare videtur, quantumvis etiā probabilius sit eum ab hoc errore immunem fuisse.
- VI. Essentia Dei Metaphysica neque in infinitate aut intelligere radicali, neque in intelligere actuali, sed consistit in prædicato entis

entis à se, aut esseitate. VII. Por-
rò ratio Entis à se non tantum
constituit Deum metaphysicè sub ra-
tione essentiæ, sed etiam sub ratio-
ne naturæ. VIII. Inter essentiam
Divinam & attributa sicut eriam,
inter ipsa attributa est admittenda
aliqua distinctio, quæ tamen non sit
realis. IX. In Deo neque compo-
sitoria physica. II. Neque metaphysi-
ca. III. Neque denique logica lo-
cum habet. X. Distinctio Nomina-
nium minor est, quam ut sufficere
videatur in Deo inter essentiam &
attributa, aut etiam Personalitates
in ordine ad essentiam comparatas.
XI. Distinctio virtualis Thomistica
non tantum datur aut existit actu
in Deo. II. Sed etiam est Patribus
undequaque conformis. III. Et vel
maxime sufficit ad verificanda con-
tradicторia etiam illa, quæ ante ope-
rationem intellectus in Deo offen-
duntur. XII. Distinctio formalis
ex natura rei major est, quam ut in
Deo inter essentiam & personali-
tates ac attributa admitti valeat.
XIII. Deus est infinitus, in o-
mni

mani genere Bonus. Immensus, Æ-
ternus, immutabilis. XIV. Ratio
formalis quâ Deus est ubique est
eius operatio. XV. Deo omnes o-
mninò res tam præteritæ scilicet
quæm præsentes & futuræ sunt rea-
liter ac physice in æternitate præ-
sentes.

EX TRACTATU

De visibilitate Dei.

I. Nequit elevari oculus corpore-
us ad videndam Divinam es-
tentiam. ut proinde implicet visio
intuitiva Dèi respectu oculi corpo-
rei, quæ verò visio possibilis est re-
spectu intellectus creati. quatenus lu-
mine gloriæ elevati. II. Admodum
probabile est I. Moylen II. B. V. Mari-
am. III. S. Paulum adhuc in terris
existentes vidisse intuitivè Deum. IIII.
Id quod etiam de SSmo Patre ac
Patriarcha Benedicto cum magna
similiter probabilitate affirmari po-
test. IV. In visione intuitiva Dei
neque species impressa, neque ex-
pressa

pressa requiritur, verum utraque superfluit. Porro dæta visio intuitiva Dei, in quibusdam Sanctis perfectior est, quam in aliis secundum majora scilicet vel minora Beatorum merita. V. Beati primario vident essentiam Divinam. II. Secundario vident omnia quæ in Deo formaliter continentur. III. Videne etiam creaturas non tamen omnes futuras vel possibles, verum ex his aliquas. VI. Animæ justorum quibus nihil luendum superest, statim ac corporibus solvuntur, & antè ultimum ac Generale Judicium perfruuntur intuitiva Dei visione. VII. Hæc eadem visio intuitiva Dei, Beatos facit ab intrinsecò impeccabiles. Etque respectu eorum intrinsecè pariter inamissibilis & perpetua.

EX TRACTATU

De Deo scientie.

VIII. Datur in Deo scientia, quæ sit prorsus omniscia. Et vero cum scientia simplicis intelligentia

gentiæ in Deo sit causa rerum di-
rectiva tantum. Scientia visionis
quatenus est approbationis erit cau-
sa rerum verè effectiva. IX. Deus
videndo creature suas, nequaquam
eas videt immediate in semetipsis,
sed mediately duntaxat scilicet in
sua essentia tanquam causa & me-
dio priùs cognito. X. Deus certò
& infallibiliter cognoscit omnia fu-
tura, absoluta, sive sint necessaria,
sive contingentia. XI. Solum De-
cretum prævium quo Deus omnia
efficaciter prædeterminat est illud
medium in quo Deus omnia futura
certò ac infallibiliter cognoscit.
XII. Scientia media per quam De-
us ante suum decretum futura con-
ditionata, certò cognoscit neque S.
Scripturæ. II. Neque S. Augustino.
III. Neque denique S. Thomæ aut
aliis Patribus conformis est, vide-
turque involvere repugnantiam in
Deo. XIII. Dantur reapsè in Deo
respectu futurorum conditionato-
rum decreta subjectivè absoluta, ob-
jectivè vero conditionata.

EX

EX TRACTATU

De Deo volente.

- XIV. Deus voluntate antecedente
vult omnes omnino homi-
nes salvos fieri. XV. Quæ verò
voluntas in Deo vera est & propria,
ac sincera. XVI. Dantur in volun-
tate Divina decreta ab intrinseco
efficacia, quibus Deus omnes no-
stros actus liberos prædefinit. XVII.
Prædestinatio in intentione spectata
est omnino gratuita, & facta ante
omnem prævisionem meritorum.
XVIII. Reprobatio negativa abso-
lutè considerata fundatur in pecca-
to originali atque adeo facta est,
non ante, verum post prævisionem
eiusmodi peccati. II. Comparativè
autem spectata fundatur in solo be-
neplacito Divino, III. Adeò ut sit
facta antè prævisionem demerito-
rum Personalium.

EX TRACTATU.

De Sanctissima Trinitate.

- I. Mysterium SSimæ Trinitatis exi-
stit sive quod idem est dantur
SSimæ tres Personæ in Una eadèm-
que.

que subsistentes natura. II. Textus
ille S. Joannis de triplici celeberrimi-
mo testimonio in Cælo & in terra
est genuinus S. Joannis textus. III.
Mysterium SSimæ Trinitatis non pa-
test perfectè cognosci lumine &
ratione naturali, ut ut etiam suppo-
natur revelatio Fidei. IV. Dantur
in Deo Processiones reales ad intra-
sive immanentes ita: ut una Perso-
na procedat ab altera. V. Hinc Fi-
lius Divinus à solo Patre, Spiritus
autem Sanctus procedit à Patre &
Filio simul. VI. Particula Filioque
in Ecclesiis Hispaniarum vertente
sæculo VI. * II. Apud Gallos vero
& Germanos sæculo VIII. * III.
Apud Romanos sæculo IX. * IV.
In universa autem Ecclesia sæculo
XIII. Symbolo inserta fuit. VIII.
Principium *Quod* remotum Divina-
rum Processionum est natura Divina-
na modificata relationibus Patris &
Spiritoris. II. Principium *Quod* pro-
ximum sunt intellectus, & volun-
tas importantes in obliquo notiones
seu relationes Paternitatis ac spirati-
onis. III. Quæ relationes ad esse
Prin-

Principium Divinarum Processio-
num se habent per modum com-
plementi intrinseci in obliquo im-
portati. VIII. In Deo admittendæ
sunt relationes verè reales. II. Et
quidem nro quatuor III. Quarum
tres inter se distingvuntur realiter.
IV. Nulla autem ita ob esentia. IX.
Symboli (quicunque vult salvus es-
se) verus ac genuinus Author juxta
purgatissimam Crism meritò haben-
dus est S. Athanasius. X. Relatio-
nes Divinæ secundum suum conce-
ptum ad seu explicitum nullam in-
volvunt perfectionem specialem re-
lativam. Qæ verò relationes tamet-
si non habeant proprias existentias
relativas ab existentia absoluta es-
tentiaz Divinæ ullo modo distindas
habent nihilominus subsistentias
proprias relatives à subsistentia ab-
soluta esentiaz Divinæ virtualiter di-
stinctas, præter tres autem hujusmo-
di subsistentias relatives, quæ natu-
rae Divinæ tribuunt rationem in-
communicabilitatis & Personæ, da-
sue insuper in Deo subsistentia ab-
soluta, quæ tribus SSmis Personis
commu-

communis est & tribuit ratione seu
esse & cum independentia. XI. Filius
Divinus est verus Deus Patri
consubstantialis. XII. Spiritus S. est
idem verus Deus Patri & Filio
haud aliter consubstantialis. XIII.
Filius Divinus & Spiritus S. sunt
unus cum Patre in natura Deus.
XIV. Concilium Nicenum I. Jure
definit Filium Divinum esse homon-
sionem Patri. hancque vocem omnino
appositi Symbolo Fidei addidit.
XV. Etsi Patres Ariminenses sub-
scripserint formulæ ab Arianis sibi
oblatæ, nuspianam tamen de voce ho-
mousian aut consubstantialitate Filii
Divini male sentierunt, vel mentem
hæreticam habuerunt. XVI. Mens
Liberii Romani Pontificis circa Di-
vinitatem Filii Divini semper fuit
Catholica, neque ullo argumento
solidè evinci potest, quod unquam
coonsenserit Semi Ariana hæresi.
XVII. Verbum seu Filius Divinus
per se procedit ex cognitione non
tantum essentia sed omnium objec-
torum, quæ Deus cognitione ne-
cessaria in sua essentia attingit. Et
vero.

verò cur Processio Filii Divini dicatur generatio, non item Processio Spiritus S. ratio est quod ille procedat per intellectum, hic autem per voluntatem, XVIII. Si Spiritus S. per impossibile non procederet à Filio, neque realiter distingueatur à Filio.

EX TRACTATU

De Gratia.

I. Sinè speciali gratiæ actualis interioris auxilio, nec fides supernaturalis, nec ejus initium haberi potest. Sinè quo etiam auxilio homo non solum non eredere, sed nullum bonum opus morale supernaturale pertinens ad salutem velle aut perficere potest. II. Post nihilominus homo, sine gratia fidei aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis facere, & ideo non omnia infidelium opera sunt peccata, Peccator similiter sine gratia habituali sanctificante bonum, aliquid opus morale ordinis non tantum

tantum naturalis, sed etiam super-
naturalis, scilicet per gratiam actu-
alem perficere potest, adeoque non
omnia peccatorum opera sunt pec-
cata, prout docuit cum Lutheranis,
Calvinistis, aliisque hereticis Bajus.
III. Homo quamvis ceteroquin Ju-
stus, non potest toto vita lux tem-
pore cum auxiliis gratiae ordinariis
vitare omnia peccata venialia. II.
Potest tamen hoc ex Privilegio spe-
ciali, & auxiliis extraordinariis. III
Quod utique privilegium habuit B.
V. Maria. Quae ubi omni peccato
etiam veniali semper immunis fuit.
IV. Justus alioqui sine speciali Di-
vinæ gratiae auxilio non accepta justi-
tia usque ad finem vita perseverare
non potest. V. Admittenda est in
statu naturæ lapsæ gratia veræ, &
propterea ac pure sufficiens. VI. Quæ
verò gratia veræ sufficiens justis in-
super omnibus urgente precepto
datur à Deo, per quam relative ad
actualem & presentem concupi-
scientiam possunt aut tentationes su-
perare, aut mandata hic & nunc
observare. Hæc eadem gratia suffi-
cias

ciens omnibus omnino applicatur,
vel saltem præparatur. VII. Effica-
cia gratiæ non debet repeti ex dele-
ctione superiori: seu per gradus
relative victrice necessitante, prout
voluit Jansenius, & Calvinus. VIII.
Sed neque ex consensu voluntatis,
aut congruitate, & attemperatione
illius cum libero arbitrio, quæ eti-
am efficacia gratiæ reponenda non
est in multitudine & coacervatione
auxiliorum, neque in delectatione
victrice moraliter determinante.
Verum in sola Præmotione physica
seu prædeterminatione supernatura-
li. IX. Datur gratia sanctificans,
quæ sit quid creatum animæ intrin-
secè ac permanenter inhærens. Por-
rò omnes tres virtutes Theologicæ
Fides, Spes, & Charitas. quemadmo-
dum & omnia dona Spiritus S. ho-
mini una cum gratia sanctificante
infunduntur. X. In justificatione
peccatoris non solum teguntur, seu
non imputantur; peccata, sed verè
remittuntur, delentur. & auferua-
tur, XI. Atque hinc remissio pec-
catorum, quæ est justificatio impi
cam

non sit per imputationem extrinsecam justitiae, quia Deus justus est, aut justitiae Christii sed per veram & intrinsecam justitiam, seu gratiam habitualis infusionem. Quæ præterea justificatio impii non potest absolvè fieri per solum favorem Dei extrinsecum, sine mutatione intrinseca peccatoris. XII. De qua etiam potentia Dei absoluta, peccatum & gratia non possunt simul in eodem subiecto consistere. XIII. Fides requisita ad justificationem non est fiducia, qua credimus seu confidimus peccata esse nobis propter Christum remissa, sed qua credimus omnibus veritatibus nobis à Deo revelatis propter ejus autoritatem & veracitatem. XIV. Neque proinde illa fides specialis recentium hæreticorum quæ vanâ est & nulla, neque fides vera & Christiana sola sufficit ad justificationem aut ad salutem, XV. Nemo seclusa speciali revelatione potest esse certus se esse in gratia certitudine absoluta, cui non possit subesse falsum, vel saltem quæ secludat omnem formidinem sed

sed solum certitudine secundum
quid morali & conjecturali. XVI.
Et vero sicut certitudinem nostram
gratiae non habemus, ita etiam licet
re ipsa justi simus a sanctitate & ju-
stitia, quod adusque vitam hanc mor-
talem agimus, excidere possumus.
XVII. Daatur opera perfecte bo-
na, seu ita perfecta ut peccata non
sint, vel peccatis contaminata, ut
proinde opera iustorum cum gratia,
inhabitante & movente facta sint
propriè & intrinsecè meritoria de-
condigno vita æternæ, nullus inte-
rea actus virtutis sive acquisitæ, sive
infusæ in justo est meritorius de-
condigno vita æternæ, nisi fiat ex
influxu saltem virtuali charitatis,
XVIII. Nemo unus potest sibi me-
reri primam gratiam habitualem de
condigno bene vero de congruo
saltem impropriè tali. Nullus eti-
am præter Christum potest alteri
mereri primam gratiam de condi-
gnò, bene tamen de congruò. Ne-
mo similiter potest sibi mereri re-
parationem post lapsum, merito
condigni, sed neque merito congrui

C

propriè

propriè. quemadmodum nec perse-
verantia finalis donum. XLIX. Po-
test nihilominus homo sibi mereri
de condigno augmentum gratia
& charitatis, non tamen primam
gloriam, bene verò secundam.

EX TRACTATU

De Incarnatione.

I. Possibile est seu nullam inter-
nam pugnam includit Mysteri-
um Incarnationis. II. Incarnatio
Verbi Divini fuit positivè conveni-
ens Deo naturæ humanæ, & toti
universo. III. Multa sunt, quæ
Gentilibus solidè ostendunt Incar-
nationem Verbi Divini peractam
fuisse. IV. Jam verò adversus Ju-
dæos tum ex Prophetia Jacobi Ge-
nes: c. 49. v. 8. & 10. tum ex Pro-
phetia Danielis C. 2. tum ex Pro-
phetia Ageri C. 8. tum denique ex
aliis pluribus Veteris Testamenti lo-
cis, Incarnationis existentia efficaci-
ter evincitur, omnes enim Prophe-
tiæ citatæ Messiam designant & in
Christo

Christo re ipsa fuerunt adimpleræ.
V. In vaticinio Jacobæo sicut pet
Seperum non est intelligenda sola
potestas Regia sed potestas quælibet
Rem publicam administrandi, ita
per Judam non est intelligenda so-
la Tribus Juda, sed tota Gens Juda-
ica. VI. Herodes, (quo in Iudea
regnante natus est Christus Domi-
nus; non Iudeus genere fuit sed
alienigena. VII. Initium 79. Da-
nielis hebdomadum non est peten-
dum à tempore factæ Danieli reve-
lationis, nec à 1. Cyri: edito in fa-
vorem Iudæorum facto nec ab al-
tero à Dario Hystaspide edito, nec
à 4to quod ab Artaxerxe Longima-
no Regni ejus anno 20m prodiit,
sed duci debet à 3tio edito ejus
dem Artaxerxis, in quo ille Anno
Regni sui 7m dederat omnem pe-
titionem Esdræ. VIII. Verbum Di-
vinum, veram nobisque consubstan-
tialem naturam humanam, corpus
scilicet humanum, & enimam rati-
onalem assumpsit, quibus nempe
ipsa constat. IX. Ita verò constan-
ti indissolubilique nexu unitum fu-

Ca it cum

it cum humanitate Verbum, ut eam
nunquam deseruerit, vel aliquando
deserturum sit. X. Christus ante
mortem suam habuit corpus passi-
bile. fuitque vere doloribus obno-
xius, cum quo ad corpus tum quod
ad animam, XI. Christus carnem
suam non ex nihilo non aliunde,
sed materna traxit ex carne, coo-
perante modo Spiritu Sancto. XII.
Stat invicta Catholica veritas
in Concilio VI. Generali, actione
Iusta his verbis expresa. Mariæ Vir-
ginitas ante partum, in partu, &
post partum intemerabilis. XIII.
Incarnatio non fuit simpliciter ne-
cessaria in sensu Viclefi, etiam supo-
sito primi hominis lapsu. XIV. Ex
suppositione tamen quod DEUS
condigam exegerit pro peccatis
satisfactionem Incarnatio fuit sim-
pliciter necessaria. XV. Tametsi
assumptæ humanitati realiter unita
fuerit natura Divina, solus tamen
Filius Divinus naturam humanam
assumpsit. XVI. Unio hypostatica
non est facta in unitate naturæ; a-
deoque post unionem dantur in Chri-
sto duæ

stō dūæ nātūræ integræ, distinctæ &
inconfusæ XVII. Duplex quoque
admittenda est in Christo voluntas
duplexque operatio. XVIII. Uni-
onem utriusque naturæ substantia-
lem negavit impius hæresiarcha Ne-
storius. XIV. At quidquid is teme-
re effutierit, propugnanda est in
Christo una duntaxat Persona, qua-
simul Deus sit & homo. XX. Et
Gloriosissima Virgo Maria verè ac
propriè Theotocoe idest Dei-Pra-
est appellanda. XXI. Etsi propter
unitatem Personæ in Christo detur
communicatio idiomatum in con-
creto. XXII. Minime tamen ad-
mittenda est permutatio vocabulorum
inter unam & alteram Christi na-
turam. Quamobrem supinus est er-
ror, & hæresis execranda Lutheræ-
norum assertorium. Assumptam à
verbo humanitatem esse ubique.
XXIII. Humanitas Christi nec de-
condigno nec de congruo meruisse
hypostaticam cum verbo unionem.
XXIV. Veteres uero Patriarchæ, &
Beatissima Virgo, & si non ipsam In-
carnationis substantiam attamen ali-
quas

quas illius circumstantias saltem de
congruo meruerunt, XXV. Christi
intellectus tam infusa, quam ac-
quisita scientia fuit cumulate exorna-
tus. XXVI. Fuit quoque in eodem
Christo adhuc viatore scientia Pa-
tris. XXVII. Beatissima Christi
anima, iis perfectionibus quae ad
voluntatem solent referri, cumula-
tissime prædita, fuit exornata quo-
libet genere sanctitatis. XXVIII.
Ita vero constanti indissolubilique
nexu unicum fuit cum humanitate
verbum, ut eam nunquam deserue-
rit, aut deserturum omnino sit.
XXIX. Ex vi unionis hypostatica
nullam habuit, nec potuit habere
peccati maculam. Tametsi perfe-
ctissima arbitrii libertate polleret.
XXX. Hæc vero libertas tam cum
impeccabilitate, quam cum rigoroso
Patris de subeunda morte pre-
cepto, optimè conciliari potest.
XX XI. Adversus pestiferam Socini-
anorum hæresim affirmandum est
Christum JESUM re vera esse hu-
manigenoris Redemptorem, atque
hanc redemptionem peractam solu-
to pecc

to pretiō non prædicatione solū,
aut exemplō, exhibitatamque ab eo
pro nobis justitiae Divinæ satisfacti-
onem, non metaphoricam, sed ver-
itatem fuisse. XXXII. Pertinet ad
universos homines redemptio Chri-
sti, adeoque qui asseruit ab hoc uni-
versali beneficio alienas esse mulies-
tes delirus fuit ac insanus. XXXIII.
Erravit ex opposito Origenes autu-
mans Christum esse Redemptorem
Dæmonum etiam ac damnatorum.
XXXIV. Merita Christi Domini fu-
erunt valoris infiniti. XXXIV. Per
illa Christus meruit. *imō*. Sibi glo-
riam Corporis. Nominis exaltatio-
nem: & alia bona extrinseca. *zdd.*
Hominibus, gloriam essentialē
gratiam habitualem, omnia auxilia
& dona supernaturalia. Omnes de-
nique nostræ prædestinationis esse
etius. *zid.* Angelis quasdam illus-
trationes, & gaudia seu præmia acci-
dentalia. XXXVI. Christus JESUS
quanquam rectissimè dicatur ab
Apostolo *Prædestinatus Dei Filius* ne-
quit tamen etiam sub expressa hu-
manitatis restrictione appellari Fili-
us

us adscititus seu adoptivus.
XXXVII. Etsi contradictionem non
implicet Christum dici aliquo pacto
Dei servum. nec repugnet ipsum
appellari ratione assumptæ humanis
tatis creaturam, congruum tamen
magis est ab iis & similibus counti-
ationibus abstinere,

EX TRACTATU

De Cultu & Invocatione San- ctorum.

I. Idem Cultus Divinitati Christi,
ac humanitati eidem hypostati-
ce conjunctæ deferendus est. II.
Sancti Angeli, & homines in Calo-
cùm Christo regnantes, licet, &
piè à nobis countur, tanquam a-
mici Dei Cultu Religioso Duliz,
Beatissima Virgo MARIA Cultu
Hyperduliz. III. Bonum atque uti-
le est invocare Sanctos, ut pro no-
bis apud Deum intercedant, eorum
que invocatio, nihil quidquam offi-
cio derogat mediatoris, & dignita-
ti satisfactionis Christi. IV. Lici-
tum

tum & honestum est sacras Reliquias Sanctorum venerari Cultu Religioso respectivo. V. Vera Crux, uti & singulæ illius partes adorandæ sunt Cultu Latræ relatio ad Christum. VI. Idem Cultus exhibendus est Imagini S. Crucis vel pictæ, vel factæ, vel sculptæ, vel ex qualibet materia fabricatæ. VII. Signum Crucis, quo aliquis se signat in fronte, ab Apostolis Ordinem ducit, & est in praxi religiosissimum. VIII. Primum est representare Deum vel Sanctos Angelos sub aliqua specie & forma sensibili. IX. Pium pariter & licitum est pingere Sanctorum Imagines, easque in templis & locis priuatis reponere. X. Imagines JESU Christi Domini Nostri, Beatissimæ Virginis Mariæ & Sanctorum, sanctè coluntur Cultu religioso, eo modo, quo Concilium Tridentinum declarat. XI. Concilium Franeofordiente ad Mænum, Synodus Parisiensis, & Libri Carolini, non obsunt Catholico Dogmati de Cultu Sanctorum Imaginum XII, Imaginibus Sanctorum idem speci:

specifice exhibendus est Cultus qui exhibetur Sanctis, quos representant non tamen ab solutus, sed respectivus.

EX TRACTATU DE LEGIBUS.

De Lege aeterna & naturali.

I. Lex quæ in æternam, naturalem & positivam Divinam, ac humanaam dividitur est ordinatio rationis, stabilis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, facta, subditis intimata, cum animo eos obligandi. Quamobrem præcipuus ejus effectus est, imponere moralem necessitatem subditis, ad faciendum ea quæ præcipit, & omnitemendum quæ prohibet. II. Legibus accessetur Jus Gentium, quod Hobbesius Puffendorfius, & plures à Protestantibus cum Jure naturali alii veri cum Jure Civili, sed male confundunt. Est quippe illud species ab utroque distinctum, obligans nihilominus quemadmodum & alia Leges in conscientia. III. Inter Leges primum locum tenet Lex æterna.

nas, quam existere, & exterarum
omnium esse fontem, & originem,
nemo negare potest. Definitur ab
Augustino L. 22. contra Faustum
quod sit. Ratio vel voluntas Dei or-
dinem naturalem conservari iubens,
perturbari uideans. Hinc formaliter
sumpta non consistit aut in Idea,
aut in Providentia Divina, sed di-
stinguitur ab utraque virtualiter. IV
Hanc sequitur Lex naturalis, quæ
consistens in dictamine pratico,
ac præceptivo Syntereseos, obtinet
rationem Legis, verè & proprié-
tatis. Est enim participatio Legis
eternæ, animis rationalium in scri-
pta, triplex eis officium erga Deum
scilicet, erga seiplos, & erga proxim-
um prescribens in affirmativam
negativam permisivam, & irritan-
tem divisa. V. Ejus existentia est
adeò certa, ut quo ad principia sua
prima practica, & universalissima,
& quo ad Conclusiones ex iis per
facilem discursu dedubibiles, à
semine usu rationis gaudente in-
vincibiliter ignorari possit. VI. Ob-
iectum illius est solum id, quod aut
necessar.

IX.
ad
um
Lex
Car
blig
ta
sem
Fid
fac
do
no
Co
vet
no
tru
sur
An
S.
int
sen
me
mu
mo
leg

necessario præcipendum, aut ne-
cessario prohibendum erat. Ex-
quò tantam Lex naturalis sortitur
immutabilitatem, ut neque per ab-
rogationem, neque per derogatio-
nem neque per irritationem, nec
denique per dispensationem nedum
ab humana, sed & à Divina Po-
testate immutari possit. Nullumque
legitur in Historia factum, quò e-
vinci possit Deum in aliquo utrius-
que Tabulæ præcepto propriè &
formaliter unquam dispensasse. VII.
Principium Indicativum Juris natu-
ræ ultimum & adæquatum, neque
in Socialitate humana, ut voluit Pu-
fus nō orfius, neque in triplici amore,
ut quidam ex Catholicis asseruerunt
sed in Ipso Dō Authore & Guber-
natore naturæ ejusque perfectioni-
bus Divinis reponenda est. VIII.
Sola ratio non potest respici tan-
quam principium ultimum & adæ-
quatum Juris naturæ, adeoque ii-
malè illud explicant, qui præse-
dunt aut à Deo, aut à Sacra Scriptu-
ra, aut ab Authoritate SS. Patrum,
vel Theologorum, vel Juris Cāno-
nici, & Civilis peritorum.

De Lege Positiva Divina.

IX. Lex Mosaica seu **vetus** fuit dona eaque ab Exodo usque ad Deuteronomium conclusivè Deum habuit Authorem. X. Eadem Lex Mosaica quantum ad præcepta Ceremonialia & Judicialia solos obligavit Judæos. XI. Cum verò latuta fuerit ad tempus donec veniret semen, hinc certum est certitudine Fidei, eam abrogari debuisse, & de facto abrogatam esse. XII. Ast quando hæc legis abrogatio facta fuerit non ita certè determinari potest. Communiter tamen docetur legem veterem mortuam & abrogatam non fuisse ante Christi mortem utrum verò in morte Christi & resurrectione ut docuit S. Thomas An: Potius die Pentecostes ut sensit S. Bonaventura: Iis est acerrima, inter Theologos. Nos primam sententiam tanquam magis consonam S. Scripturæ & Patribus eligimus. XIII. Lex vetus priùs fuit mortua, quām mortifera. Unde legalia post Christi mortem, & post quām

quam cessavit Mosaicæ legis obliga-
tio, inculpatè observari potuerunt,
consequenter Apostoli post mortem
Christi non sicutè sed sincerè eadem
observarunt. XIV. S. Paulus Ca-
pham non simulatè sed verè & ex
animo reprehendit. XV. Valde
probabile est hunc Cepham non fu-
isse à Petro Apostolorum Principe
distinctum. XVI. Etsi præcisè ac
Mathematicè definiti non possit di-
es Mensis, & annus, quo lex vetus
mortifera evasit, probabilius tamen
videtur eam factam fuisse mortife-
ram 40mo circiter post Christi
mortem Annō. XVII. Christus non
tantum fuit Redemptor, sed etiam
verè & propriè Legislator, Legem
que Evangelicam præcepta strictè
talia continentem tulit pro omni-
bus hominibus. XVIII. Lex Evan-
gelica, si sumatur ut est præceptiva,
duratura est ad finem mundi, non
ultrà. XIX. Nemo mortalium, ne
quidem Summus Pontifex in ea di-
spensare potest, tametsi simplex ejus
interpretatio cadere possit sub po-
testatem humanam.

De

De Lege humana Ecclesiastica, &
Civili,

XX. Datūr in Ecclesia Potestas
condendi Leges Ecclesi-
sticas. XXI. Hęc Potestas, residet
in Prælatis Ecclesie estq; omnino à
potestate politica independens.
XXII. Legibus Ecclesie omnes o-
mnino Christiani etiam Principes
& Reges terræ subjiciuntur. XXIII.
Reges & Principes superiorē se
non agnoscētes, possunt ferre Le-
ges pro suis Regnis & Territoriis.
XXIV. Leges tam Ecclesiasticę
quam Civiles subditos obligant in
fōro interiori conscientię. XXV.
Porro ut Leges Imperiales obligent
in conscientia, necessariō promulga-
ti debent in singulis Provinciis.
Quod quidem cūm probabiliōri asse-
rimus etiam de Legibus Pontificiss;
nisi aliud in eis exprimatur. XXVI.
Nulla Lex sive Civilis sive Ecclesi-
astica quò ad vim obligandi pendet
ab acceptatione populi. XXVII.
Leges humanae et si non semper o-
bligant cūm periculo vitę aut gra-

vis

vis incommodi, dantur tamen quidam casus in quibus sic obligant, tune nisi rūm cūm utilius est bono communi hic & nunc servari Legem quam servari privati hominis vitam, & cūm Lex humana violat nequit absque contemptu Dei. Religionis, aut potestatis legislativæ, XXVIII. Leges pure pñales non obligant in conscientia ad actum aliquem aut ponendum aut omittendum, bene tamen ad subeundam pñam. Leges verò pñales disjunctivè tales, obligant disjunctivè nempe, vel ad pñam subeundam vel ad actum præscriptum. Tandem Leges pñales copulativè tale obligant ad utrumque scilicet & ad actum præscriptum, & ad pñam subeundam. XXIX. Quando pñna est ferendæ sententia, non adest obligatio ad eam subeundam antè Judicis sententiam, sicut nec ad pñam positivam, etiam latè sententia sive hæc sit activa gravior sive passiva, immo nec ad pñam privativam, si ea privat bonis ac Jutib; jam acquisitis, aut si sit; privativè

tivè mixta, benè tamen ad pñam
mere privativam, & quæ reum facit
inhabilem ad bona vel iuta aqui-
renda. XXX. Si Lex fundatur in
præsumptione facti ea obligat, quan-
do præsumptio subsistit, secus si non
subsistit. Quod sit lex fundetur in
præsumptione juris ea semper obli-
gat sive præsumptio in particulari
subsistat, sive tollatur. At si Lege
aliquid præcipitur, quod præsumi-
tur esse licitum, re ipsa autem non
est licitum ea nulla ratione obligat
in conscientia. XXX. Ut aliquis
satisfaciat Legi seu præcepto affir-
mativo, illudq; impleat, debet ha-
bere intentionem ponendi actum
qui præceptus est, seu debet sciens
& volens operari. XXXII. Si A-
ctus non nisi ex modo & fine in-
trinsico malus est, potest per eum
satisfieri legi. XXXIII. Impedimen-
tum Obstans executioni præcepti ne-
gativi tolli deber, quoties impedi-
mentum illud consistit in occasione
vel præsenti vel absenti quidem sed
proxime. XXXIV. Si impedimen-
tum obstat executioni Legis, quæ in

materia iustitiae versetur, tolli abso-
lutè debet, quoties aliquid ex officio
faciendum est, si verò tolli non po-
test cedendum est officio. XXXV.
Impedimenta proxima, quæ Legis
humanæ executioni obsunt remove-
ri debent, nisi vel necessaria sint,
vel tam utilia, ut melius sit ea non
tolli, quam legem servari. XXXVI.
Legibus humanis omnes subditi e-
tiam fideles tam justi quam in justi
obligantur. XXXVII. Potestas legi-
slativa non dependet à Fide & pro-
bitate legislatoris. XXXVIII. Pere-
grini transentes per alienum Terri-
torium, non tenentur legibus iis quæ
Personales ~~sunt~~ sunt, sicut etiam iis
quæ moræ eorum non sunt accomo-
datæ. XXXIX. Cum potestas Eccle-
siastica distincta sit à Politica, hinc
neque Populus neq; Principes Seculares,
ratione sui Principatus habent ullam in
Ecclesia Potestatem Spiritualem. XL.
Clerici illis legibus, quæ communem
spectant Gubernationem quæq; Sacris
Canonibus Statui Clericali, & Ecclesiæ
libertati minime adversantur, ex quadam
æquitate naturali subjiciuntur, non ta-
men quo ad vim coactivam.

EX

EX TRACTATU.

De Statu Animarum post mortem.

I. Animæ in peccato mortali decedentes, illoco post suam à corpore separationem amandauntur ad infernum. II. Ibique pñnis & si quò ad intensionem finitis, & secundum in æqualitatem demeritorum inæqualibus, perpetuo tamen duraturis plectuntur, III. Harum autem æternitas & ex pluribus Scripturarum oraculis evidenter eruitur & ex Traditione Patriumquæ unanimi per omnia saecula consensu, tum etiam & ratione Theologica sufficienissimè demonstratur. IV. Quæ mobrem illa, quæ de Trajani Imperatoris anima, per M. Gregorii preces ex inferno liberati, circum fertur historia, inter fabulas rejicienda est. V. Dari purgatorium in eoque animas in gratia decedentes, quibus adhuc aliquidendum superest, detineri, certum est. VI. Certum pariter est *1mo.* Eas nec mereri nec demereri posse. *2do.*

Cery

Certas esse dē sua salute. ^{310.} Purgatorii pñnas voluntarie tolerare non quidem absolute sed conditio-
natē. VII. Sententia illa, quæ So-
to tribuitur, quæq; affimat nullam
animam ultra 10. annos in Purga-
torio morsum, sicut & altera quæ
omnes animas usq; ad extremum
diem judicii detinendas afferit; im-
probabilis est. VIII. Constat est
Ecclesiæ doctrina posse animas in
Purgatorio detentas suffragiis vivo-
rum juvari, non per modum impe-
trationis gratuitæ, sed via solutionis,
seu per satisfactionem. IX. Cer-
tum est etiam easdem animas ali-
quid nobis à DEO impetrare posse.
X. Animæ Infantium cum solo O-
riginali morientium non patiuntur
pñnam sensus. XI. Multumque
probabile est, eas nullam tristitiam,
nullumve dolorem percipere ex pri-
vatione Visionis beatificæ. XII.
Non esse tamen beatas beatitudine
naturali.

Ut In Omnibus Glorificetur
DEUS Reg, S. B. Cap. 37.

195388
237
1686

~~195388~~
~~237~~
~~1686~~
~~z góry na rzekę~~
~~z rzeki na wzgórze~~
~~z wzgórza na rzekę~~
~~z rzeki na wzgórze~~



495388 Bibliotheca 600,-
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



09021

I. IV. 17

1. Herrn Pfeifer. Gute Wohnung.
 2. Vorwärts, Brüder. Opa
 3. Tatkräftige Freiheit. Tatkräftig
 4. Rechtsgerechte Freiheit. Gerechtigkeit
 5. Rechtschaffene Freiheit. Rechtschaffen
 in Lernstunden,
 religiös.
 religiös. Am Sonntag zu geloben. Schule

Religion
Konfession
Lernstunden
Religiös

Einheitschristentum ist in Kirche
 gemeinsam mit allen Christen vereint
 in Gott. Dagegen steht der gesetzliche
 Christus Christus.

Die Reformation kommt zu be-
 kennen und gegen manchen Ketzern zu wappen
 und sie aufzuhören. —